


Postcommunio. Sanctificationibus tuis, omnipotens Deus, et vitia nostra curentur, et re-

media nobis aeterna proveniant. Per Dominum. *Alla Postcomm. Mandet, p. [80]. Tertia ad libitum.*

Feria iv. Quat. Temp. Septembris.

STATIO AD S. MARIAM MAJOREM.

Introitus.

Ps. 30.
 *X*sulatē Deo adiutori nostro: jubilatē Deo Jacob: sumite psalmum iucundum cum cithara; canite in initio mensis tuba, quia praecēptum in Israel est, et iudicium Deo Jacob. *Ps. ibid.* Testimonium in Joseph posuit illud, cum exiret de terra Aegypti: linguam, quam non noverat, audivit. *V. Gloria Patri.*

Post *Kyrie elison* dicitur: *Orémus.* Flectāmus genua. *X. Levitae.*

Oratio. Misericordiae tuae remediis, quaesumus Domine, fragilitas nostra subsistat: ut, quae sua conditione atteritur, tua clemētia reparētur. Per Dominum.

Lect. Ames Proph. 9. d.

*H*ec dicit Dominus Deus: Ecce dies veniunt: et comprehendet arator messorem, et calcator uvae mittentem semen: et stillabunt montes dulcedinem, et omnes colles culti erunt. Et convertam captivitatem

populi mei Israel: et aedificabunt civitates desertas, et inhabitabunt: et plantabunt vineas, et facient hortos, et comedent fructus eorum. Et plantabo eos super humum suam: et non evellam eos ultra de terra sua, quam dedi eis: dicit Dominus Deus tuus. *Graduale. Ps. 112.* Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat: et humilia respicit in caelo, et in terra? *V. Suscitans a terra inopem, et de stercore erigens pauperem.*

Hic dicitur Dominus vobiscum, sine Flectāmus genua.

Oratio. *Oratio.* Praesta, quaesumus Domine, familiae tuae supplicanti: ut dum a cibis corporalibus se abstinēt, a vitiis quoque mentē jejūnet. Per Dñm.

Secunda Oratio. A cunctis p. [80]. Tertia ad libitum.

Lect. libri Esdrae. II. 8.

*I*n diebus illis: Congregatus est omnis populus quasi vir unus

ad plateam, quae est ante portam aquarum: et dixerunt Esdrae scribae, ut afferret librum legis Moysi, quam praecēperat Dominus Israeli. Attulit ergo Esdras sacerdos legem coram multitudine virorum et mulierum, cunctisque qui poterant intelligere, in die prima mensis septimi. Et legit in eo aperte in platea quae erat ante portam aquarum, de mane usque ad mediam diem, in conspectu virorum et mulierum, et sapientium: et aures omnis populi erant erectae ad librum. Stetit autem Esdras scriba super gradum ligneum, quem fecerat ad loquendum. Et aperuit librum coram omni populo: super universum quippe populum eminebat: et cum aperuisset eum, stetit omnis populus. Et benedixit Esdras Domino Deo magno: et respondit omnis populus: Amen, Amen: elevans manus suas: et incurvati sunt, et adoraverunt Deum proni in terram. Porro Levitae silentium faciebant in populo ad audiendam legem: populus autem stabat in gradu suo. Et legerunt in libro legis Dei distincte, et aperte ad intelligē-

dum: et intellexerunt cum legeretur. Dixit autem Nehemias, et Esdras sacerdos et scriba, et Levitae interpretantes universo populo: Dies sanctificatus est Domino Deo nostro, nolite lugere, et nolite flere. Et dixit eis: Ite, comedite pinguiam, et bibite mulsum, et mittite partes his, qui non praepravaverunt sibi: quia sanctus dies Domini est, et nolite contristari: gaudium etenim Domini est fortitudo nostra.

GRAD. Bedu gens, ut supra, p. 339, omissis Alleluia, et V. Domine exaudi.

Seq. sancti Evangelii secundum Marcum. 9. c.
In illo tempore: Respondens unus de turba, dixit ad Jesum: Magister, attuli filium meum ad te, habentem spiritum mutum: qui ubicumque eum apprehenderit, aliiid illum, et spumat, et stridet dentibus, et arcescit: et dixi discipulis tuis, ut ejicerent illum, et non potuerunt. Qui respondens eis, dixit: O generatio incredula, quamdiu apud vos ero? quamdiu vos patiar? Afferte illum ad me. Et attulerunt eum. Et cum vidisset eum, statim spiritus conturbavit illum: et elisus

in terram, volutabatur spumans. Et interrogavit patrem ejus: Quantum temporis est, ex quo ei hoc accidit: At ille ait: Ab infantia: et frequentereum in ignem, et in aquas misit, ut eum perderet. Sed si quid potes, adjuva nos, miseratus nostri. Jesus autem ait illi: Si potes credere, omniaabilia sunt credenti. Et continuo exclamans pater pueri, cum lacrymis aiebat: Credo, Domine: adjuva incredulitatem meam. Et cum videret Jesus concurrerent turbam, comminatus est spiritui immundo, dicens illi: Surde et mute spiritus, ego precipio tibi, exi ab eo: et amplius ne intras in eum. Et exclamans, et multum discerpens eum, exiit ab eo, et factus est sicut mortuus, ita ut multi dicerent: Quia mortuus est. Jesus au-

tem tenens manum ejus, elevavit eum, et surrexit. Et cum introisset in domum, discipuli ejus secreto interrogabant eum: Quare nos non potissimum nocere eum? Et dixit illis: Hoc genus in nullo potest exire, nisi in oratione et jejuniis.

OFFERTORIUM. *Medi-*

tator. p. 84.
SECR. *Hæc hóstia, p. 45.*
Alia Secreta. *Exaudi,*
p. [80]. Tertia ad libitum.

Communio. *II. Esdr. 8.*
Comédite pingua, et bibite mulsum, et mittite partes his qui non preparaverunt sibi: sanctus enim dies Domini est, nolite contristari: gaudium æternum Domini, est fortitudo nostra. *Postcommunio.* Sumentes, Dne, dona cælestia, suppliciter deprecamur: ut, quæ sæcula servitute donante te, gerimus, dignis sensibus tuo munere capiamus. Per Dñum.

Alia Postcomm. *Mundet,*
p. [80]. Tertia ad libitum.

Feria vi. Quat. Temp. Septembris.

STATIO AD SS. DUODECIM APOSTOLOS.

INTROITUS. *Lattur cor,*
p. 126.
ORATIO. *Præsta, p. 118.*
Secunda Oratio. *A cunctis,*
p. [80]. Tertia ad libitum.

Lect. *Osceat Proph. 14.*
Hæc dicit Dominus Deus: Convertete Israel ad Dominum

Deum tuum: quoniam corruisti in iniquitate tua. Tollite vobiscum verba, et convertimini ad Dominum, et dicit ei: Omnem aufer iniquitatem, accipe bonum: et reddemus viti-

Sabbato Quatuor Temp. Septembr. 343

los labiorum nostrorum. Assur non salvabit nos, super equum non ascendemus, nec dicemus ultra: Dii nostri opera manuum nostrarum: quia ejus, qui in te est, miseraberis pupilli. Sano contritiones eorum, diligam eos spontanee: quia aversus est furor meus ab eis. Ero quasi ros, Israel germinabit sicut liliium, et erumpet radix ejus ut Libani. Ibunt rami ejus, et erit quasi oliva gloria ejus: et odor ejus ut Libani. Convertentur sedentes in umbra ejus: vivent tritico, et germinabunt quasi vinea: memoriale ejus sicut vinum Libani. Ephraim quid mihi ultra idola? ego exaudiam, et dirigam eum ego ut abietem virentem: ex me fructus tuus inventus est. Quis sapiens, et intelliget ista? intelligens, et sciet hæc? Quia rectæ viæ Domini,

et justi ambulabunt in eis: prævaricatores vero corruent in eis.

GRAD. *Convertete, p. 81.*
EVANGELIUM. *Rogabat Jesum quidam, p. 143.*

OFFERT. *Benedic, p. 79.*

Secreta. Accépta tibi sint, Domine, quæsumus, nostri dona jejuniis: quæ et expiando nos tua grátia dignos efficiant, et ad sempiterna promissa perducant. Per Dominum.

Alia Secreta. *Exaudi,*
p. [80]. Tertia ad libitum.

Communio. *Ps. 118.* Aufer a me opprobrium et contemptum, quia mandata tua exquisivi, Domine: nam et testimonia tua, meditatio mea est. *Postcommunio.* Quæsumus, omnipotens Deus: ut de percéptis munèribus grátias exhibentes, beneficia potiùs sumamus. Per Dominum.

Altera Postcomm. *Mundet,*
p. [80]. Tertia ad libitum.

Sabbato Quat. Temp. Septembris.

STATIO AD S. PETRUM.

Introitus.



Ps. 94.
Enite, adoramus Deum, et proclamamus ante Dominum, ploramus ante eum qui fecit nos: quia ipse est Dominus Deus no-

ster. *Ps. ibid.* Venite, exultemus Domino: jubilemus Deo salutari nostro. Gloria Patri, et Filio.

Post *Kyrie elison* dicitur Orémus. Flectamus genua. *K. Levate.*

Oratio. Omnipotens sempiternus Deus, qui per continentiam salutarem corporibus mederis et mentibus : majestatem tuam supplices exoramus ; ut pia jejuniatum deprecatione placatus, et presentia nobis subsidia tribuas, et futura. Per Dominum. *Lecti libri Levitici. 23. d.*
IN diebus illis : Locutus est Dominus ad Moysen, dicens : Decimo die mensis hujus septimi, dies Expiationum erit celeberrimus, et vocabitur sanctus : affligetisque animas vestras in eo, et offeretis holocaustum Domino. Omne opus servile non facietis in tempore diei hujus : quia dies propitiationis est, ut propietur vobis Dominus Deus vester. Omnis anima, quae afflicta non fuerit die hac, peribit de populo suis : et quae operis quidpiam fecerit, delibo eam de populo suo. Nihil ergo operis facietis in eo : legitimum sempiternum erit vobis in cunctis generationibus, et habitacionibus vestris. Sabbatum requiescentis est, et affligetis animas vestras die nono mensis : a vespera usque ad vesperam celebrabitis sabbata vestra :

dicat Dominus omnipotens.

GRADUALE. Proptius esto, p. 80.

Orémus. Flectámus genua. *K. Leváte.*

Oratio. Da nobis, quæsumus omnipotens Deus : ut jejunando, tua gratia satiémur ; et abstinendo, cunctis efficiámur hostibus fortióres. Per Dñm. *Lectio libri Levitici. 23. f.*

IN diebus illis : Locutus est Dominus ad Moysen, dicens : A quíntodécimo die mensis septimi, quando congregaveritis omnes fructus terræ vestrae, celebrabitis férias Domini septem diébus : die primo et die octavo erit sabbatum, id est requies. Sumetisque vobis die primo fructus arboris pulcherrimæ, spatulæque palmárum, et ramos ligni densarum frondium, et salices de torrente, et letabimini coram Domino Deo vestro. Celebrabitisque solennitatem ejus septem diébus per annum : legitimum sempiternum erit in generationibus vestris. Mense septimo festa celebrabitis, et habitabitis in umbraculis septem diébus. Omnis, qui de genere est Israel, manebit in tabernaculis : ut discant pósteri vestri,

quod in tabernaculis habitare fecerim filios Israel, cum educerem eos de terra Egypti. Ego Dñs Deus vester.

GRAD. Proptius, p. 70.

Orémus. Flectámus genua. *K. Leváte.*

Oratio. Tuere, quæsumus Domine, familiam tuam : ut salutis æternæ remédia, quæ te inspirante requirimus, te largiente consequámur. Per Dominum nostrum. *Lectio Michææ Prophætæ. 7. c.*

Domine Deus noster, pascere populum tuum in virga tua, gregem hereditatis tuæ, habitantes solos in saltu, juxta dies antiquos. Videbunt gentes, et confundentur super omni fortitudine sua. Quis Deus similis tui, qui auferis iniquitatem, et transis peccatum reliquiarum hereditatis tuæ? Non immittet ultra furorem suum, quoniam volens misericordiam ens. Revertetur, et miserabitur nostri : deponet iniquitates nostras, et projiciet in profundum maris omnia peccata nostra. Dabis veritatem Jacob, misericordiam Abraham : quæ jurasti patribus nostris a diébus antiquis : Domine Deus noster.

GRADUALE. Convertere, p. 81.

Orémus. Flectámus genua. *K. Leváte.*

Oratio. Præsta, quæsumus Domine, sic nos ab epulis abstinere carnalibus : ut a vitis irruentibus páriter jejunemus. Per Dominum.

Lectio Zachariæ Prophætæ. 8. c.

Intum est verbum Domini ad me, dicens : Hæc dicit Dominus exercituum : Sicut cogitavi, ut affligerem vos, cum ad iracundiam provocasset patres vestri me, dicit Dominus, et non sum miseratus : sic conversus cogitavi in diébus istis ut beneficium domui Juda, et Jerusalem : nolite timere. Hæc sunt ergo verba, quæ faciétis : Loquimini veritatem, unusquisque cum proximo suo : veritatem, et judicium pacis judicáte in portis vestris. Et unusquisque malum contra amicum suum ne cogitétis in cordibus vestris : et juramentum mendax ne diligétis : omnia enim hæc sunt, quæ odi, dicit Dñs. Et factum est verbum Dñi exercituum ad me, dicens : Hæc dicit Dominus exercituum : Jejuniúm quarti, et jejuni-

nium quinti, et jejúnium séptimi, et jejúnium décimi erit domui Juda in gáudium, et lætitiám, et in sollemnitates præclaras : veritatem tantum, et pacem diligite : dicit Dóminus exercituum.

GRAD. *Dirigitur*, p. 72.

Orémus. **Flectámus** génua. **X. Leváte.**

Oratio. Ut nobis, Dómine, tribus solémne tibi deferre jejúnium : sic nobis, quæsumus, indulgéntiæ præsta subsidium. Per Dóminum.

LECT. V. Angelus Dómini descendit. HYMNUS. *Benedictus*, et **ORATIO. Deus qui tribus**, ut in Sabb. IV. Temp. Adv. pp. 12 et seq. Secunda Oratio. *A cunctis*, p. [80]. Tertia ad libitum.

Lectio Epistolæ B. Pauli Apóst. ad Hebræos. 9.

Pratres : Tabernaculum factum est primum, in quo erant candelabra, et mensa, et propositio panum, quæ dicitur Sancta. Post velamentum autem secundum, tabernaculum, quod dicitur Sancta sanctorum : aureum habens thuribulum, et arcam testamenti circumtectam ex omni parte auro, in qua urna aurea habens manna, et virga Aaron, quæ frondierat, et tabulæ testamenti; superque eam erant Chérubim gloriæ obum-

brántia propitiatorium : de quibus non est modo dicendum per singula. His vero ita compósitis; in priori quidem tabernáculo semper introibant sacerdotes, sacrificiorum officia consummantes : in secundo autem semel in anno solus pónטיפex, non sine sanguine, quem offert pro sua et pópuli ignorantia : hoc significante Spiritu sancto, nondum propalátam esse sanctorum viam, adhuc priore tabernáculo habente statum. Quæ parabola est temporis instantis : juxta quam múnera, et hostiæ offeruntur, quæ non possunt juxta conscientiam perfectum facere servientem, solummodo in cibis, et in potibus, et variis baptismibus, et justitiis carnis usque ad tempus correctiónis impositis. Christus autem assistens pónטיפex futurorum bonorum, per amplius et perfectius tabernaculum non manufactum, id est, non hujus creatiónis; neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in Sancta, æterna redemptione inventa.

TRACTUS. Laudáte Dóminum, p. 82.

Seq. sancti Evangelii secundum Lucam. 17.

In illo tempore : Dicebat Jesus turbis hanc similitudinem : Arborem ficí habebat quidam plantatam in vinea sua, et venit quærens fructum in illa, et non invenit. Dixit autem ad cultorem vineæ : Ecce anni tres sunt ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, et non invenio : succide ergo illam : ut quid etiam terram occupat? At ille respondens, dicit illi : Dómine, dimitte illam et hoc anno, usque dum fodiám circa illam, et mittam stercora : et si quidem fecerit fructum : sin autem, in futurum succides eam. Erat autem docens in synagoga eorum sabbatis. Et ecce mulier, quæ habebat spiritum infirmitatis annis decem et octo : et erat inclinata, nec omnino poterat sursum respicere. Quam cum videret Jesus, vocavit eam ad se, et ait illi : Mulier, dimissa es ab infirmitate tua. Et imposuit illi manus, et confestim erecta est, et glorificabat Deum. Respondens autem archisynagogus, indignans quia sabbato curasset Jesus, dicebat turbæ : Sex dies

sunt, in quibus oportet operari : in his ergo venite, et curámini, et non in die sabbati. Respondens autem ad illum Dóminus, dixit : Hypocrite, unusquisque vestrum sabbato non solvit bovem suum, aut asinum a præsepio, et dicit adaquare? Hanc autem filiam Abraham, quam alligavit sátanas, ecce decem et octo annis, non oportuit solvi a vinculo isto die sabbati? Et cum hæc diceret, erubescébant omnes adversarii ejus : et omnis pópulus gaudebat in universis, quæ glorióse fiebant ab eo.

OFFERTORIUM. Dómine

Deus, p. 82.

SECRETÁ. Concede, p. 72. Alia Secreta. *Ex iudæi*, p. [80]. Tertia ad libitum.

Communio. Levit. 23. Mense septimo festa celebrábitis, cum in tabernaculis habitare fecerim filios Israel, cum edicere eos de terra Egypti, ego Dóminus Deus vester.

Postcommunio. Perficiant in nobis, Dómine quæsumus, tua sacramenta quod continent : ut quæ nunc specie gerimus, rerum veritate capiamus. Per Dñum.

Alia Postcomm. *Mundet*, p. [80]. Tertia ad libitum.

Dominica xviii. post Pentecosten.

Introitus. *Eccli. 36.*



A pacem Dómine, sustinéntibus te, ut prophéta tui fideles inveniántur: exáudi preces servi tui, et plebis tuæ Israel. *Ps. 121.* Lætátus sum in his quæ dicta sunt mihi: in domum Dómini ibimus. *V. Glória Patri.*

Oratio. Dirigat corda nostra, quæsumus Dómine, tuæ miseratiónis operatio: quia tibi sine te placere non pòssumus. Per Dóminum.

Secunda Oratio. *A cunctis*, p. [80]. Tertia ad libitum.

Léct. **Epistolæ** B. Pauli Apóst. ad Corinth. *1. 1.*

Fratres: Grátias ago Deo meo semper pro vobis in grátia Dei, quæ data est vobis in Christo Jesu: quod in ómnibus divites facti estis in illo, in omni verbo, et in omni sciéntia: sicut testimónium Christi confirmátum est in vobis: ita ut nihil vobis desit in ulla grátia, expectántibus revelatiónem Dómini nostri Jesu Christi, qui et confirmábit vos usque in finem sine crimine, in die advéntus Dómini nostri Jesu Christi.

GRADUALE. *Látátus sum*, p. 116.

Allelúia, allelúia. *V. Ps. 101.* Timebunt gentes nomen tuum Dómine: et omnes reges terree glóriam tuam. Allel. *Seq. sancti Evangelii secundum Matthæum. 9.*

In illo témpore: Ascéndens Jesus in naviculam, transfretávit, et venit in civitatem suam. Et ecce offerebánt ei paralyticum jacéntem in lecto. Et videns Jesus fidem illórum, dixit paralytico: Confide fili, remittúntur tibi peccáta tua. Et ecce quidam de Scribis dixerunt intra se: Hic blasphemát. Et cum vidisset Jesus cogitatiónes eórum, dixit: Ut quid cogitátis mala in cordibus vestris? Quid est facilius, dicere: Dimittúntur tibi peccáta tua; an dicere: Surge, et ámbula? Ut autem sciátis, quia Filius hóminis habet potestátem in terra dimitténdi peccáta, tunc ait paralytico: Surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam. Et surréxit, et abiit in domum suam. Vidéntes autem turbæ timeérunt, et glorificáverunt Deum, qui dedit potestátem talem hominibus. **CREDO.**

Offertorium. *Exodi 24.* Sanctificávit Móyses al-

Dominica xix. post Pentecosten. 349

tare Dómino, offerens super illud holocáusta, et immolans víctimas: fecit sacrificium vespertinum in odórem suavitátis Dño Deo, in conspéctu filiórum Israel.

Secreta. Deus, qui nos per hujus sacrificii veneránda commércia, unius summæ divinitátis participes effícis: præsta quæsumus; ut sicut tuam cognóscimus veritátem, sic eam dignis móribus assequámur. Per Dóminum.

Alia Secreta. Exaudi, p. [80]. Tertia ad libitum.

Communio. *Ps. 95.* Tollite hóstias, et introite in átria ejus: adoráte Dóminum in aula sancta ejus.

Postcommunio. Grátias tibi referimus, Dómine, sacro múnere vegetáti: tuam misericórdiam deprecántes; ut dignos nos ejus participatióne perficias. Per Dóminum nostrum.

Alia Postcomm. Mundet, p. [80]. Tertia ad libitum.

Dominica xix. post Pentecosten.

INTROITUS. *Satus pópuli*, p. 107.

Oratio. Omnipotens et misericors Deus, universa nobis adversántia propitiátus excludé: ut mente et corpore páriter expediti, quæ tua sunt, liberis méntibus exsequámur. Per Dóminum nostrum.

Secunda Oratio. *A cunctis*, p. [80]. Tertia ad libitum.

Léctio **Epistolæ** B. Pauli Apóst. ad Ephésios. *4.*

Fratres: Renovámini spiritu mentis vestræ, et indúte novum hóminem, qui secundum Deum creatus est in justitia, et sanctitáte veritátis. Propter quod deponétes men-

dácium, loquimini veritátem unusquisque cum próximo suo: quóniam sumus invicem membra. Irascimini, et nolite peccáre: sol non occidat super iracúndiam vestram. Nolite locum dare diabolo: qui furabátur, jam non furétur; magis autem labóret, operándo má nibus suis, quod bonum est, ut hábeat unde tribuat necessitátem patienti.

Graduale. *Ps. 140.* Dirigátur oratio mea, sicut incensum in conspéctu tuo Dómine. *V. Eleváto mánuum meárum sacrificium vespertinum.* Allelúia, allel. *V. Ps. 103.* Confitémini Dómino, et invocáte nomen ejus:

annuntiāte inter gentes
ōpera ejus. Allelūa.
Seq. sancti Evangelii se-
cūndum Matthæum. 22.

In illo tēpore :
Loquebātur Jesus
principibus sacerdotum
et Pharisæis, in parābo-
lis dicens : Simile factum
est regnum cælōrum
hōmini regi, qui fecit
nūptias filio suo. Et
misit servos suos vocāre
invitātos ad nūptias, et
nolēbant venire. Iterum
misit alios servos, di-
cens : Dicitē invitātis :
Ecce prāndium meum
parāvī, tauri mei, et ōm-
nia parāta : venite ad
nūptias. Illi autem ne-
glexerunt et abiērunt,
alii in villam suam,
alii vero ad negotiatiō-
nem suam : reliqui vero
tenuerunt servos ejus,
et contumēlis affectos
occiderunt. Rex autem
cum audisset, irātus
est : et missis exerciti-
bus suis, perdidit homi-
cidas illos, et civitatē
illōrum succēdit. Tunc
ait servis suis : Nūptiæ
quidem paratæ sunt,
sed qui invitātī erant,
non fuerunt digni. Itē
ergo ad exitus viārum,
et quoscūmque inven-
eritis, vocāte ad nūptias.
Et egressi servi ejus in
vias, congregaverunt
omnes, quos invenērunt,

malos et bonos : et im-
pletæ sunt nūptiæ dis-
cumbētium. Intrāvit
autem rex, ut vidēret
discumbēntes, et vidit
ibi hōinem non vesti-
tū veste nūptiālī. Et
ait illi : Amice, quōmo-
do huc intrāsti, non ha-
bens vestem nūptiālem?
At ille obmūtuit. Tunc
dixit rex ministris : Li-
gātis mānibus et pedi-
bus ejus, mittite eum in
tēnebras exteriōres : ibi
erit fletus, et stridor
dēntium. Multi enim
sunt vocātī, pauci vero
electi. **CREDO.**

OFFERTORIUM. *Si ambu-
lāvero*, p. 108.

Secreta. Hæc mūnera,
quæsumus Dōmine,
quæ oculis tuam maje-
statīs offerimus, salutā-
ria nobis esse concēde.
Per Dōminum.

Alia Secreta. *Exaudi*,
p. [80]. Tertia ad libitum.

Communio. Tu mandā-
tī mandātā tua cus-
todiri nimis : utinam
dirigātur viæ meæ, ad
custodiēdas justificā-
tiōnes tuas.
Postcommunio. Tua
nos, Dōmine, medicinā-
lis operatiō, et a nostris
perversitatibus clemē-
ter expēdiat, et tuis
semper faciāt inhærere
mandātis. Per Dñum.

Alia Postcomm. *Mundet*,
p. [80]. Tertia ad libitum.

Introitus.



Dan. 3.
Inia, quæ fe-
cisti nobis,
Dōmine, in
vero judicio
fecisti, quia peccāvimus
tibi, et mandātis tuis
non obediimus : sed
da glōriam nōmini tuo,
et fac nobiscum secū-
dum multitudinem mi-
sericōrdiæ tuæ. *Ps. 118.*
Beātī immaculatī in via :
qui ambulāt in lege
Dñi. *V.* Glōria Patri.

Oratio. Largire, quæ-
sumus Dōmine, fideli-
bus tuis indulgēntiam
placātus et pacem : ut
pariter ad ōmnibus
mundentur offensis, et
secūra tibi mente de-
serviant. Per Dōminum.

Secunda Oratio. *A cur-
tis*, p. [80]. Tertia ad libi-
tum.

Lect. Epistolæ B. Pauli
Apōst. ad Ephēsius, *5. d.*

Ratres : Vidētē quō-
modo caute ambu-
lētis : non quasiambu-
lētēs, sed ut sapientēs,
redimentes tempus,
quōniam dies mali sunt.
Propterea nolite fieri
imprudētes, sed intel-
ligētes, quæ sit volūn-
tas Dei. Et nolite in-
ebriāri vino, in quo est
luxūria : sed implēmini
Spiritu sancto, loquē-
tes vobismetipsis in
psalmis, et hymnis, et
cānticis spirituālibus,

cantāntes, et psallētēs
in cōrdibus vestris Dō-
mino : grātias agēntes
semper pro ōmnibus, in
nōmine Dōmini nostri
Jesu Christi, Deo et
Patri. Subjētī invicem
in timōre Christi.

GRADUALE. *Oculi om-
nium*, p. 107.

Allelūa, allelūa. *V.*
Ps. 107. Parātum cor
meum, Deus, parātum
cor meum : cantābo, et
psallam tibi, glōria mea.
Allelūa.

Seq. sancti Evangelii se-
cūndum Joānnem. 4.

In illo tēpore : Erat
quidam rēgulus,
cujus filius infirmabatur
Caphārnaum. Hic cum
audisset, quia Jesus ad-
veniret a Judæa in Gal-
ilæam, abiit ad eum,
et rogābat eum ut de-
scēderet, et sanāret fili-
um ejus : incipiēbat
enim mori. Dixit ergo
Jesus ad eum : Nisi si-
gna et prodigia vidēri-
tis, non crēditis. Dicit
ad eum rēgulus : Dō-
mine, descēde prius-
quam moriātur filius
meus. Dicit ei Jesus :
Vade, filius tuus vivit.
Crēdidit homo sermō-
ni, quem dixit ei Jesus,
et ibat. Jam autem eo
descēdente, servi oc-
currerunt ei, et nuntia-
verunt dicētes, quia
filius ejus viveret. In-

terrogabat ergo horam ab eis, in qua melius habuerit. Et dixerunt ei: Quia heri hora septima reliquit eum febris. Cognovit ergo pater, quia illa hora erat, in qua dixit ei Jesus: Filius tuus vivit: et credidit ipse, et domus ejus tota. Credo.

OFFERTORIUM. *Super Asimina*, p. 144.

Dominica xxi. post Pentecosten.

Introitus. *Esth. 13.*

IN voluntate tua, Domine, universa sunt posita: et non est qui possit resistere voluntati tue: tu enim fecisti omnia, caelum et terram, et universa quae caeli ambitu continentur: Dominus universorum tu es. *Ps. 118.* Beati immaculati in via: qui ambulat in lege Domini. *V. Gloria Patri.*

Oratio. Familiam tuam, quaesumus Domine, continua pietate custodi: ut a cunctis adversitatibus, te protegente, sit libera: et in bonis actibus tuo nomini sit devota. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum.

Secunda Oratio. *A cunctis*, p. [80]. Tertia ad libitum.

Secreta. Caelstem nobis praebant haec mysteria, quaesumus Domine, medicinam: et vitia nostri cordis expurgent. Per Dominum.

Alia Secreta. *Exaudi*, p. [80]. Tertia ad libitum.

COMM. *Memeto*, p. 144. POSTCOMMUNIO. *Ut scaris, Domine*, p. 88.

Alia Postcomm. *Mundet*, p. [80]. Tertia ad libitum.

Lect. Epistolae B. Pauli Apostoli ad Ephesios. 6.

Frateres: Confortamini in Domino, et in potentia virtutis ejus. Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli. Quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem: sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitia, in caelestibus. Propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, et in omnibus perfecti stare. State ergo succincti lumbos vestros in veritate, et induti loriceam justitiae, et calcatei pedes in preparatione Evangelii pacis: in omnibus sumentes scutum fidei, in quo

possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere: et galeam salutis assumite: et gladium spiritus, quod est verbum Dei.

Graduale. Ps. 89. Domine, refugium factus es nobis, a generatione et progénie. *V.* Priusquam montes fierent, aut formarétur terra et orbis: a saeculo, et usque in saeculum tu es Deus. Alleluia, alleluia. *V. Ps. 113.* In exitu Israel de Aegypto, domus Jacob de populo barbaro. Alleluia.

Seq. sancti Evangelii secundum Matthaeum. 18.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis parabolas hanc: Assimilatum est regnum caelorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis. Et cum cepisset rationem ponere, oblatus est ei unus, qui debebat ei decem millia talenta. Cum autem non haberet unde redderet, jussit eum Dominus ejus venditari, et uxorem ejus, et filios, et omnia quae habebat, et reddi. Procidens autem servus ille, orabat eum, dicens: Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi. Misertus autem dominus servi illius, dimisit eum, et debitum dimisit ei.

Egressus autem servus ille, invenit unum de conservis suis, qui debebat ei centum denarios: et tenens suffocabat eum, dicens: Redde quod debes. Et procidens conservis ejus, rogabat eum, dicens: Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi. Ille autem noluit: sed abiit, et misit eum in carcerem, donec redderet debitum. Videntes autem conservi ejus quae fiebant, contristati sunt valde: et venerunt, et narraverunt domino suo omnia quae facta fuerant. Tunc vocavit illum dominus suus: et ait illi: Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me: nonne ergo oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum? Et iratus dominus ejus, tradidit eum tortoribus, quoad usque redderet univsum debitum. Sic et Pater meus caelestis faciet vobis, si non miseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris. Credo.

Offertorium. Job. 1. Vir erat in terra Hus, nominis Job: simplex et rectus, ac timens Deum: quem Satan petiit, ut tentaret: et data est ei potestas a Domino in facultates, et in carnem.

ejus : perdiditque omnem substantiam ipsius, et filios : carnem quoque ejus gravi ulcere vulneravit.


Secreta. Suscipe Dómine, propitius hóstias, quibus et te placári voluisti, et nobis salutem poténti pietáte restitui. Per Dóminum nostrum.

Alia Secreta. *Exáudi*, p. [80]. Tertia ad libitum.

Communio. *Ps. 118.* In salutári tuo ánima mea,

Dominica xxii. post Pentecosten.

Introitus. *Ps. 129.*

 Iniquitátes observáveris Dómine, Dómine quis sustinebit? quia apud te propitiatio est, Deus Israël. *Ps. ibid.* De profundis clamávi ad te, Dómine : Dómine exáudi vocem meam. *V. Glória Patri.*

ORATIO. *Deus refugium*, p. [83].

Secunda Oratio. *A cunctis*, p. [80]. Tertia ad libitum.

Lect. *Epistolae* B. Pauli Apóstoli ad Philipp. *1.*

Frateres : Confidimus in Dómino Jesu, quia qui cepit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu. Sicut est mihi justum hoc sentire pro omnibus vobis : eo quod

et in verbum tuum sperávi : quando fácies de persequéntibus me judicium? iniqui persecúti sunt me, adjuva me, Dómine Deus meus.

Postcommunio. Immortalitátis alimóniam consecúti, quæsumus Dómine : ut quod ore percépimus, pura mente secétemur. Per Dóminum nostrum.

Alia Postcomm. *Mundet*, p. [80]. Tertia ad libitum.

habeam vos in corde, et in vinculis meis, et in defensione, et confirmatióne Evangélii, sócios gáudii mei omnes vos esse. Testis enim mihi est Deus, quomodo cûpiam omnes vos in visceribus Jesu Christi. Et hoc oro, ut caritas vestra magis ac magis abundet in sciéntia, et in omni sensu : ut probétis potióra, ut sitis sincéri, et sine offénsa in diem Christi, repléti fructu justitiæ per Jesum Christum in glóriam et laudem Dei.

Graduale. *Ps. 132.* Ecce quam bonum et quam jucúndum, habitáre fratres in unum. *V.* Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron. Al-

lelúia, allel. *V. Ps. 113.* Qui timent Dóminum, sperent in eo : adjutor et protector eórum est. Allelúia.

Seq. sancti Evangelii secúndum Matthæum. *22.*

In illo témpore : Ab eúntes Pharisei, consilium inierunt ut cáperent Jesum in sermóne. Et mittunt ei discipulos suos cum Herodiánis, dicéntes : Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces, et non est tibi cura de áliquo : non enim respicias persónam hóminum : dic ergo nobis quid tibi videtur, licet censum dare Cæsari, an non? Cógna autem Jesus nequitia eórum, ait : Quid me tentátis hypócritæ? Osténdite mihi numisma cen-

sus. At illi obtulerunt ei denárium. Et ait illis Jesus : Cujus est imágo hæc, et superscriptio? Dicunt ei : Cæsaris. Tunc ait illis : Réddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari ; et quæ sunt Dei, Deo. **CREDO.** **Offertorium.** *Esth. 14.* Recordáre mei, Dómine, omni potentáti dómínans : et da sermónem rectum in os meum, ut placeant verba mea in conspéctu principis.

SECRETÁ. *Da, miserere*, p. [83].

Alia Secreta. *Exáudi*, p. [80]. Tertia ad libitum.

Communio. *Ps. 16.* Ego clamávi quóniam exaudisti me Deus : inclina aurem tuam, et exáudi verba mea.

POSTC. *Simpissimus*, p. 83. Alia Postcomm. *Mundet*, p. [80]. Tertia ad libitum.

Dominica xxiii. post Pentecosten.

quando non fuerit ultima post Pent; quia si erit ult., tunc loco xxii. ponetur quæ inferus est xxiv. et Missa inferus est in Sabbato præced. non impedito Festo duplici, vel semid., ut dictum est in Octava Epiphaniæ, p. 41; alioquin in alia præcedenti Feria similiter non impedita.

Introitus. *Jerem. 29.*

 Icit Dóminus : Ego cógito cogitatiónes pacis, et non afflictiónis : invocábitis me,

et ego exáudiam vos : et redicam captivitatem vestram de cunctis locis. *Ps. 84.* Benedixisti Dómine terram tuam : avertisti captivitatem Jacob. *V. Glória Patri.*

Oratio. Absólve, quæsumus Dómine, tuórum delicta populórum : ut a peccatórum nostrórum néxibus, quæ pro nostra fragilitáte contráximus, tua benignitate liberémur. Per Dóminum.

Secunda Oratio. *A cunctis*, p. [80]. Tertia ad libitum.

Lect. *Epistolae* B. Pauli Apostoli ad Philippenses. 3. *d. et 4.*

Fratres: Imitatores mei estote, et observate eos, qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram. Multi enim ambulant, quos saepe dicebam vobis (nunc autem et flens dico) inimicos crucis Christi: quorum finis interitus: quorum Deus venter est: et gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt. Nostra autem conversatio in caelis est: unde etiam Salvatorem expectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostrae, configuratum corpori claritatis suae, secundum operationem, qua etiam posit subicere sibi omnia. Itaque, fratres mei carissimi, et desideratissimi, gaudium meum, et corona mea: sic state in Domino, carissimi: Evadiam rogo, et Syntychen deprecor idipsum sapere in Dño. Etiam rogo et te germane compar, adjuva illas, quae mecum laboraverunt in Evangelio cum Clemente, et ceteris adjutori-

bus meis, quorum nomina sunt in libro vitae. **Graduale.** *Ps. 43.* Liberasti nos, Domine, ex afflictionibus nos: et eos, qui nos oderunt, confundisti. *V.* In Deo laudabimur tota die, et in nomine tuo confitebimur in saecula. Alleluia, alleluia. *V. Ps. 129.* De profundis clamavi ad te, Domine: Domine, exaudi orationem meam. Alleluia.

Seq. sancti Evangelii secundum Matthaeum. q. c.

In illo tempore: Loquente Jesu ad turbas, ecce princeps unus accessit et adorabat eum, dicens: Domine, filia mea modo defuncta est: sed veni, impone manum tuam super eam, et vivet. Et surgens Jesus sequebatur eum, et discipuli ejus. Et ecce mulier, quae sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, accessit retro, et tetigit fimbriam vestimenti ejus. Dicebat enim intra se: Si tetigero tantum vestimentum ejus, salva ero. At Jesus conversus, et videns eam, dixit: Confide filia, fides tua te salvam fecit. Et salva facta est mulier ex illa hora. Et cum venisset Jesus in domum principis, et vi-

disset tibicines, et turbas tumultuantem, dicebat: Recedite: non est enim mortua puella, sed dormit. Et deridiebant eum. Et cum ejecta esset turba, intravit, et tenuit manum ejus. Et exiit fama haec in universam terram illam. **CREDO.**

Offertorium. *Ps. 129.* De profundis clamavi ad te, Domine: Domine exaudi orationem meam: de profundis clamavi ad te, Domine.

Secreta. Pro nostrae servitutis augmento sacrificium tibi, Domine, laudis offerimus: ut quod immeritis contulisti, propitius exsequaris. Per Dominum.

Alia **Secreta.** *Exaudi*, p. [80]. Tertia ad libitum.

Communio. *Marc. 11.* Amen dico vobis, quidquid orantes petitis, credite, quae accipietis, et fiet vobis.

Postcommunio. Quaesumus, omnipotens Deus: ut quos divina tuis participatione gaudere,

humanis non sinas subiacere periculis. Per Dominum nostrum.

Alia **Postcomm.** *Mundet*, p. [80]. Tertia ad libitum.

¶ Si Dominicae post Pentecosten fuerint plures xxiv., tunc post xxiii., resumantur (quoad Oraciones, Epistolas, et Evangelia) Missae Dominicarum, quae servierunt post Epiphaniam, hoc ordine.

Si Dominicae fuerint viginti quinque, in Dominica xxiv. dicitur Missa Dominicae vj. post Epiphaniam.

Si fuerint viginti sex, in Dominica xxiv. dicitur Missa Dominicae v. post Epiph.; et in xxv., Missa Dominicae vj.

Si fuerint viginti septem, in Dominica xxiv. dicitur Missa Dominicae iv. post Epiph.; in xxv., Dominicae v.; et in xxvj., Dominicae vj.

Si fuerint viginti octo, in Dominica xxiv. dicitur Missa Dominicae iij. post Epiphaniam; in xxv., Dominicae iv.; in xxvj., Dominicae v.; in xxvij., Dominicae vj.

Et ultimo loco semper ponitur Missa Dominicae xxiv. post Pentecosten.

¶ Introitus autem, Graduale, Offertorium, et Communio in predictis Dominicis semper dicuntur ut in Dominica xxiii.

Domin. xxxiv. et ultima post Pentec.

INTROITUS. **GRADUALE.** **OFFERTOR.** et **COMMUN.** ut supra in Domin. XXIII.

Oratio. Excita, quaesumus Domine, tuorum fidelium voluntates: ut

divini operis fructum propensius exsequentes, pietatis tuae remedia majora percipiant. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

Secunda Oratio. *A curatis*, p. [80]. Tertia ad libitum.

Lect. *Epistolae B. Pauli Ap. ad Colossenses. 1. b.*

Fratres : Non cessamus pro vobis orantes et postulantes, ut impleamini agnitione voluntatis Dei, in omni sapientia et intellectu spiritali : ut ambulatis digne Deo per omnia placentes : in omni opere bono fructificantes, et crescentes in scientia Dei : in omni virtute confortati secundum potentiam claritatis ejus, in omni patientia, et longanimitate cum gaudio, gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine : qui eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum Filii dilectionis suae; in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum.

Seq. *sancti Evangelii secundum Matthaeum. 24.*

In illo tempore : Dixit Jesus discipulis suis : Cum videritis abominationem desolationis, quae dicta est a Daniele propheta, stantem in loco sancto, qui legit, intelligat : tunc qui in Judaea sunt, fugiant ad montes : et qui in tecto, non de-

scendant tollere aliquid de domo sua : et qui in agro, non revertatur tollere tunicum suam. Vae autem praegnantibus, et nutriendibus in illis diebus. Orate autem, ut non fiat fuga vestra in hieme, vel sabbato. Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet. Et nisi breviant fuerissent dies illi, non fieret salva omnis caro : sed propter electos breviabuntur dies illi. Tunc si quis vobis dixerit : Ecce hic est Christus, aut illic : nolite credere. Surgent enim pseudochristi, et pseudoprophetae, et dabunt signa magna, et prodigia, ita ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi. Ecce praedixi vobis. Si ergo dixerint vobis : Ecce in deserto est, nolite exire; ecce in penetralibus, nolite credere. Sicut enim fulgur exit ab Oriente, et paret usque in Occidentem : ita erit et adventus Filii hominis. Ubi cumque fuerit corpus, illic congregabuntur et aquilae. Statim autem post tribulationem dierum illorum, sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et stellae cadent de caelo,

et virtutes caelorum commovebuntur : et tunc parabit signum Filii hominis in caelo : et tunc plagent omnes tribus terrae : et videbunt Filium hominis venientem in nubibus caeli cum virtutibus multa, et majestate. Et mittet Angelos suos cum tuba, et voce magna : et congregabunt electos ejus a quatuor ventis, a summis caelorum usque ad terminos eorum. Ab arbore autem fici discite parabola : cum jam ramus ejus tener fuerit, et folia nata, scitis quia prope est aestas : ita et vos cum videritis haec omnia, scitote quia prope est in januis. Amen dico vobis, quia non praeteribit generatio haec, donec om-

nia haec fiant. Caelum et terra transibunt, verba autem mea non praeteribunt.

CREDO.

Secreta. Propitius esto, Domine, supplicationibus nostris : et populi tui oblationibus, precibusque susceptis, omnium nostrum ad te corda converte; ut a terrenis cupiditatibus liberati, ad caelestia desideria transeamus. Per Dnum.

Alia Secreta. *Exaudi*, p. [80]. Tertia ad libitum.

Postcommunio. Concede nobis, quasumus Domine : ut per haec sacramenta quae sumpsimus, quidquid in nostra mente vitiosum est, ipsorum medicationis dono curetur. Per Dominum.

Alia Postcomm. *Mundet*, p. [80]. Tertia ad libitum.

